



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

§. 68. Causa circa Molinæ librum Romam evocata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

Sæcul. XVI.
A.C.1595.

stionem recurrentibus ageretur: cum ergo hoc diploma ad Nuntium deferretur, hic illud exequi statuit, donec alius Inquisitionis Præfectus nominaretur, qui erat Hieronymus Manriquez Abulensis Episcopus, hac dignitate auctus, cujus possessionem hoc anno die sexta Maji accepit, & quamvis nonnisi quatuor circiter Menses, utpote eodem adhuc anno die prima Septembris vivis ereptus, hoc officio fungeretur, nihilominus in hanc Molinæ causam inquirere, ac eam dijudicare aggrediebatur, quamvis illius cognitio ejus Prædecessori a Pontifice interdita fuisset,

§. LXVIII.

Causa circa Molinæ librum Romanam evocata.


In hac rerum vicissitudine, Hispaniæ Provinciæ Dominicanæ suæ doctrinæ expositioni, necnon apologiæ adversus Molinam postremam admovere manum, suumque scriptum sub nomine Apologiæ Inquisitionis Tribunali, & Nuntio Apostolico die vigesima Novembris hoc anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo quinto exhibebant: ast anno sequenti die decima Januarii Clemens VIII. ad Castellanam Inquisitionem aliud diploma mittebat, eidem in-

*His. Congr. pag. 121.
Ripalda t. 2. disp. 113. sect. 9.
Ortega t. 1. contr. 3.
disp. 14. 4
conc. 3.*

P p 5 hibens

Sæcul. XVI.
A. C. 1595.

hibens, ne hac in quæstione sententiam ullam pronuntiaret, aut in hac causa cognosceret. Sub idem quoque tempus præcipiebat, ut quamprimum fieri posset, Universitatum, Episcoporum, atque utriusque partis Theologorum explicationes, & censuræ Romam mitterentur, quatenus ibidem hoc negotium tandem decideretur: insuper novas comminationes in eos intentabat, qui de gratia, vel de quæstionibus ad hanc quæstionem spectantibus agerent, donec sacra Sedes desuper suum protulisset iudicium: cum autem Petrus Portocarrerus Conchensis Episcopus die septima Junii in supremi Inquisitoris munere Manriquesio subrogatus fuisset, hic Papæ jussis obtemperaturus, die sexta Octobris hoc eodem anno omnes censuras, cunctaque iudicii acta a suis Auctoribus subscripta, ac sigillis munita transmisit, eaque Joanni de Hanto Cajetano Episcopo deferenda tradidit, unacum utriusque Ordinis Religiosorum literis, quibus perfectæ suæ erga sacram Sedem submissionis testimonium exhibebant. Attamen hac causa Romam evocata celeberrimis illis Congregationibus *de auxiliis*, de quibus postea mentio occurret, occasio nata est.



OBSER-